


# DEO OPTIMO MAX.

## UNI ET TRINO,

## VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono. 

## QUÆSTIO MEDICA,*

*CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis primâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXXIII.*

M°. JOANNE-STANISLAO MITTIÉ, Regiæ Scientiarum & Litterarum Nancei Academiæ Socio, necnon Stanislai Primi Poloniarum Regis olim Medico ordinario, Præside.

*An aer calidus siccus, salubrior?*

### I.

MEDICINA curatrix, nulli obsequens, omnibus imperans; ratione & observationibus suffulta, stabilis, inconcussaque probatur

* Propugnatâ 16 Martii 1773 M. GASPARO COCHON DUPUY.

existere. Certas leges suas habet & regulas, quibus totus subjicitur orbis. Scientia hæc præstantissima circà sanitatem occupata, dum præsentem servat, υιετνὴς insignitur, vel cum amissam restituit, θηευπευτικη vocatur. υγειυης Summa laus esto. Medicaminum necessitas & usus propter erratum in vitæ ratione. Ter felix ille qui sanus est & bene valet; sorte suâ utatur, nec abutatur. A statu sano qui recedit, in eodem, aut non, vel ægrè, nec absque fastidio restituitur.

## I I.

SANITAS in functionum integritate posita est. Dum adest, actiones homini propriæ facilè, jucundè & cum quâdam constantiâ fiunt. Omne quod sanitatem conservat præsentem, id tibi salubrè vocandum. Res non naturales proprium prophilaxeos objectum. Istud nomen audiunt, eò quòd humani corporis compositionem non ingrediantur. Sex vulgò numerantur. Aer, cibus & potus, somnus & vigilia, motus & quies, excreta & retenta &animi pathemata, hæc omnia salubria vel insalubria fiunt. Cautio igitur in eorum usu adhibenda, delectus etiam habendus. Has inter aëris ratio magni momenti. Ab illo indesinenter & necessariò corpus afficitur, qui calidus & siccus est aër præ cæteris salubrior. Dotibus ad sanitatem servandam morbos vè arcendos is magis præditus est, minoresque noxas infert, talis igitur eligatur vel arte procuretur.

## I I I.

LIQUIDI moles illa corpus nostrum immediatè ambiens, quam inspiratu ducimus, aëris nomine intelligenda venit. Nullum in hâc sensili rerum naturâ fluidum virtutis efficaciâ prestantiùs quàm aër. Pondere is & elaterio maximè pollet. Sanitatis & morborum opportunus Author aër, si plus aut minus vapore gravior, & morbidis sordibus inquinatior sese in corpus inferat nos extrà premit undique circonfusus, ac diversimodè pro sui conditione laxat, remollit, densat, constringit. Non modò demersus ille unâ fertur in flumen sanguineum, sed ipsum etiam indesinenter permeat inspiratus & cum eo quoquo versùm in penitiorem partium compagem delabitur. In aëre calido

ſicco, purpureo vires qui capit ab ortu, feliciùs perſpiratio laudabilis, bona reſpiratio peragitur. Talis aër nullo vapore gravior quàm par eſt ſuo liberè gaudet elaterio, nec inquinatus ſanguini labem inurit. Pulmonis indè facilior explicatio in ejus vaſis contenti laticis tritus fortior, diviſio major. A pulmone in ſiniſtrum cordis ventriculum, & à corde per aortam in omnes corporis partes ſanguinis ejuſdem validior impulſus, expeditior circuitus à quo ſecretiones pendent omnes.

## I V.

SICUT maxima in aëris delectu tutela ſanitatis, ita morborum opportunitas : « Aër non modò externè premens undique, ſed per arterias in profundum corporis penetrans, poteſt reddere corpus levius aut gravius : levius, ſi tenuis & calidus juvando per ſpirationem, gravius ſi craſſus & humidus eamdem prohibeat ». Si quæras ergò undè ex anni tempeſtatibus ſiccitates aſſiduis imbribus ſint ſalubrores, ratio eſt quia ubi corpora leviora functiones ejus cum alacritate fiunt. « Aër frigidus corpora debilia refrigerat, eaque vincendo, ponderoſiora efficit, humores cogit, denſat meatus, ſtringit; undè obſtructio exſiccatio, &c. ſequuntur. Si idem nimium ſit humidus, laxat, ſolvit, debilitat fibras, ſerum auget & indè tuſſes, peripneumoniæ ſeroſæ, &c. æſtate ſenes maximè valent, hyeme frequens catharus ſenile guttur opprimit ». auſtri cum ſuis collateribus inquit Hyppocrates, calidi ſunt & humidi, nubium & pluviarum parentes. Idem, auſtrinæ tnmpeſtates corpora planè reſolvunt, & humidiora reddunt, tum etiam auditus graves, & capitis gravitates inducunt, totique corpori in movendo difficultatem afferunt.

## V.

A peculiari ſtructurâ ſolidæ corporis partes habent ut influxu fluidi dimoveantur à perpendiculo, ut reſiliant ab aëre, dum is non ſincerus quidem, ſed tenuibus quas è ſanguinis penu ſibi comites habet, particulis intricatus intrà fibrarum compagem, & intimos ſubit receſſus, ibique coercetur ad motum, ſi comprimatur, paratiſſimus. ſic

eodem aëre perfusus sanguis comprimi docilis & rarescere, jugiter in motus agitur intestinos. Aëris & particularum sanguinis æquabili in se mutuò potentiâ, nisu que stat hominis vita, sanitas. Ex dictis suprâ patent aëris frigidi, vel humidi noxæ & incommoda : è contrariò calidi sicci dotes eximiæ, indè concluditur.

*Ergò Aër calidus siccus salubrior.*

Proponebat Parisiis JOSEPHUS-FRANCISCUS BOURDIER DE LAMOULIERE, Bellicinus Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A.R.S.H. 1783. AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1783.